

dito, ut quiesceret effecerunt. Crebrescente vero iterum 1497

fama, Carolum ad Lugdunum magnos exercitus cogere, Senatus decrevit, ut trecenti equites cataphracti Ludovici auxilio mitterentur: Principisque collegium civem legeret, qui eis quæstor & legatus esset. Patres Vincentium Valerium legerunt. Pauloque post equites levis armaturæ alteri totidem Mediolanum sunt a Senatu missi. Triultius cum eo, quem & secum e Gallia transalpina ducere, & in Salassis ac Helvetiis cogere potuit, exercitu in Ludovici fines ingressus, castella quinque haud paulum opportuna communitaque perceleriter cepit, expulso Joanne Francisco Severinate Ludovici præfecto, qui ne primum quidem hostium impetum sustinuit. alia ex parte cum militibus sex millibus Asta Julianus præfetus Savonem versus, præmissis qui eam civitatem pollicitationibus incitarent; cum nihil eo studio profecisset, itinere non intermisso illo venit, atque in colle apud oppidum castra posuit. Jamque Pisii Savonem Senatus jussu venerat classis præfetus cum triremibus reipublicæ septem, onerariis navibus Federici regis quatuor: ad quas utrasque Genuenses duas ejusdem generis addiderant. Itaque Lucius & Severinas legati, quos eodem Ludovicus misserat, sua cum manu, & cum equitibus Græcis, militibusque quos ex hybernis & Pisano agro Genuam contendere Senatus jussérat, adjunctis classiariis, prælio cum Juliani copiis commisso, eas repulerunt. Iis repulsis submotisque (retro enim cesserant) Novium oppidum tormentis positis, ut se dederet, compulerunt. Classis autem præfetus ea littora percurrentes, naves magnas parvasque complures commeatu onustas, qui e Provincia cum Juliano, quem quidem jam Galli oram illam tenere confidebant, tum Florentinis afferebatur, naviculasque longas militares aliquot paucis diebus cepit. Triultii autem rebus successibusque cognitis, Senatus decrevit, ut Nicolaus Ursinus, cui omnium reipublicæ copiarum præfatura decreta erat, Bernardinus Montonius, Mediolanum celeriter contenderent, imperatorque Franciscus se comparet,